



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Ioannes Apost. 27. Dec.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. IOANNES APOST. 27. Dec.

ECCE, MATER magna, filius tuus!
 ECCE quisquis filius MARIÆ es,
 germanus VIRGINIS Sodalit IOAN-
 NES, cui ultimū cœnans Christus in
 pulvillum pectus suum, moriens in ma-
 trem, matrem dedit suam, nostrā etiam
 deinceps, si Ioannes sumus. Asiam ad-
 ministravit. Exul patriam tamen cele-
 stem, aliaque quæ scriptis mandavit,
 arcana vidit. Venenū, quod cruce tem-
 perasset, innoxium bibit, nec ab hoc
 tantū abhorruit, quantum ab hæreti-
 cis, Cerintho præcipue, quicum ne la-
 vare quidem eisdem in balneis voluit.
 Amorem eius aqua multæ non potue-
 runt extinguere. Magis etiā arsit, cum
 oleo Romæ ab igne bullienti immis-
 sus fuit. Aiebat summā legis *Amorem*
 esse. Illud unum in ore habuit: *Filioli*
diligite alterutrum. Certè quantum ani-
 mos dilexerit, argumentum ingens ju-
 ventæ nescio quis juvenis est. Hunc
 Ephesum abiturus IOANNES Episco-
 po unice commendaverat, sed pessimo
 custodi. Ecce adolescens is capitur ab
 animorū prædonibus (socios hodie male
 dicimus) mox ipse corporum etiā latro,
 mox dux latronū evadit. Subinde IO-
 ANNES adest, & pretiosum ab amico
 depositū exposcit. Amisum ubi audit,
 graviter fidem malā objurgat, in silvas

Yy 4. dein-

deinde excurrit (senio alas amore ministrante) visamque prædam tamdiu insequitur, dum lacrimis suis sistit, canisque, & amplexibus inpeditam in viam reducit. Cessit itaque feliciter hæc venatio. Hodie multæ ejuscemodi ferae pereunt, quia retia fugiunt, maluntque ab orco rari, quam à cælo capi, *Ex Bar.*

SS. INNOCENTES M.M.

28. Decembris.

Mala omnia nunciabat Herodi nunciis à Magis allatus. Quid? mea demum corona erit, quæ duos Reges ferat? aut regni mei alienum heredem vivi spectabunt liberi? vivus ego? quin caput illi nunc aufero, ne ille diadema mihi? purpuram si ambit, domi habet; suo pingat de sanguine. At ne novi quidem hostem meum. Hoc plus etiam metuo. Certè infans est. Pereat hic omnis in regno, ut unus ille pereat. Etiam innocens? jam nocens est, qui hostis est. Sed qui hostis? quia ego hunc timeo. Sed tyrannum dicent. Nimirum vetus hoc Regis nomen est. I, miles, omnes simulorum cunas evertet; balneum his para cruentum, sed dignum hoste. Hæc ille; cum interea Angelus parvulum Regem, magnamque exulem in Ægyptum, gloriosam fugam, deducit. Saviit nihilominus barbaras mucro. Vbi que clades, & funera. Vidisses majora vulnera,